

J. Medina

SACROSANCTUM OECUMENICUM CONCILIUM
VATICANUM SECUNDUM

SCHEMA CONSTITUTIONIS DE ECCLESIA

MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE DOCTRINALI EXAMINATI

I

CAPUT I

DE ECCLESIAE MYSTERIO

PATRIMONIO UC

(*Sub secreto*)



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXIV

ARCHIVO CONCILIO VATICANO II
P. JORGE MEDINA E.
(CARPETA <i>E.1.1</i> No <i>21</i>)
REFERENCIAS.....
.....
.....
.....

SACROSANCTUM OECUMENICUM CONCILIUM
VATICANUM SECUNDUM

SCHEMA CONSTITUTIONIS DE ECCLESIA

MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE DOCTRINALI EXAMINATI

I

CAPUT I

DE ECCLESIAE MYSTERIO

PATRIMONIO UC

(Sub secreto)



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXIV

SCHEMA CONSTITUTIONIS DE ECCLESIA

MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI

A COMMISSIONE DOCTRINALI EXAMINATI

RELATIO GENERALIS

In suffragatione de integro Capite I Schematis de Ecclesia, die 17 septembris 1964, sequens exitus apparuit:

Praesentes votantes	2.189
Placet	2.144
Non placet	11
Placet iuxta modum	63

Omnes modi, a Patribus introducti, diligenter examinati sunt a Secretariis Commissionis Doctrinalis, praesente Exc.mo Charue, relatore Capitis I. Non absolute omnes illi Modi hic referuntur, sive quia omnino de minoribus agunt, immo de mendis typographicis, sive quia normis generalibus non conformantur. Etenim, quia integrum Caput a Concilio definitive approbatum est, Modi qui textui *contradidunt* admitti nequeunt. Ex altera parte, mutationes, nisi evidenter meliorationem constituunt, admittendae non sunt; quae regula magis valet quando de quaestione proposita iam antea facta fuerit discussio et decisio.

Pauci omnino Patres rogaverunt quasdam *additiones* vel *transpositiones*.

Resp.: Commissio decernit textum non esse ampliandum, neque structuram esse mutandam, ne scilicet in re quae de se semper perfectibilis est, in indefinitum abeat.

Nunc per ordinem Modos recensemus et Responsum proponimus.

RELATIO DE PARTICULARIBUS

1. *De Titulo.*

Totum inscribatur: *Constitutio de Ecclesia.*

Deinde ponatur: 1. *Prooemium.*

Postea: Caput I. *De Ecclesiae Mystero*, inde a n. 2.

Pauci Patres proponunt *mutationem tituli* Capitis I in *De natura Ecclesiae*. Titulus autem *De mysterio Ecclesiae* est a Commissione post serium examen statutus et a Concilio approbatus.

Resp.: Commissio stat priori decisioni.

Ad num. 1

2. Sub n. 1, p. 7, lin. 7: Critica movetur contra particulam *vero*, quia sententia haec relate ad praecedentem non est adversativa.

Resp.: Correctione grammaticali ponatur *autem*, loco *vero*.

Ad num. 2

3. Sub n. 2, p. 7, lin. 26: unus Pater proponit suppressionem verbi *suam*, ad vitandas difficultates de doctrina trinitaria.

Resp.: Consentit Commissio.

4. Sub n. 2, p. 8, lin. 4, similiter observatur contra particulam *vero*, quod phrasis non est adversativa.

Resp.: Substituatur *vero* per *autem*.

Ad num. 3

5. Sub n. 3, p. 8, lin. 23-25, proponitur ut scribatur: « Christus ideo ut voluntatem Patris impleret, regnum coelorum, *iam antea in terris inchoatum*, in mysterio suae vitae adimplevit, oboedientia sua redemptionem efficiens ».

Resp.: Vetus Testamentum Regnum quidem praeparavit et per Regem Messiam introducendum esse praenuntiavit. Ideo Commissio statuit textum non esse mutandum.

6. Sub n. 3, p. 8, lin. 25-33 *expurgentur!*

Resp.: Commissio iam antea statuit agi debere de « aqua et sanguine », quae sacramenta significant.

Alius Pater proponit ut lineae 27-31 ita legantur: « Quod exordium et incrementum significantur sanguine et aqua ex aperto latere Iesu crucifixi exeuntibus (cf. Io. 19, 34), ac praenuntiantur verbis Domini de morte sua in cruce... ».

Resp.: Correctio, ratione claritatis, admittitur.

Ad num. 4

7. Sub n. 4, p. 9, lin. 23: voci *dirigit* substituatur *instruit*.

Resp.: Dicatur unum et alterum.

Sub n. 4, p. 9, lin. 22-23: aliquis Pater timet ne perperam aequi-
parentur dona *hierarchica* et *charismatica*.

Resp.: Locutio adhibita accuratim modo loquendi S. Pauli cor-
respondet.

Ad num. 5

8. Sub n. 5, p. 10, lin. 2 ss.: exponatur clare *Regnum Dei*.

Resp.: Commissio hoc in textu fieri iudicat.

9. Sub n. 5, p. 10, lin. 13: aliquis, loco *in Persona* proponit ut scri-
batur: *in ipso Christo*.

Resp.: Structura huius alineae successive agit de *verbis* Christi, de
Eius *miraculis*, et deinde de tota manifestatione Eius *Personae*, a. v.
de illo quod dixit, de illo quod fecit, de illo quod est. Unde textus
videtur clarus. Vox « *Persona* » clarificatur etiam expressione in lin. 1
adhibita, nempe « *praesentia Christi* ». Statuit Commissio in lin. 13
scribendum esse: « *in ipsa Persona Christi, Filii Dei et Filii hominis,*
qui... ».

10. Sub n. 5, p. 10, lin. 17-22: datur *repetitio* illorum quae iam
alibi dicuntur. Quod etiam de aliis pericopis aliquando observatur.

Resp.: Saepius eadem res sub diversis aspectibus exponenda est;
unde non resultat formalis repetitio.

11. Sub n. 5, p. 10, lin. 27-28: duo Patres quaedam addere vellent
de societate *visibili*, mediis instructa, etc.

Resp.: Oportet legere affirmationes in toto suo contextu. Iamvero
idea proposita loco suo explicitis verbis enuntiatur.

Ad num. 6

12. Sub n. 6, p. 11, lin. 20: proponit aliquis Pater ut addatur
logion *de Petro* ut *petra aedificii*.

Resp.: Textus petrinus passim iam adducitur.

13. Post n. 6, p. 12, lin. 20: addatur numerus specialis *de familia*.

Resp.: De familia Dei hic agitur, p. 11, lin. 29, et in aliis tribus
locis ex professo de familia fit sermo. Unde hoc loco nihil est addendum.

Ad num. 7

14. Sub n. 7, p. 12-13, lin. 1 paginae 13, loco *participantes*, scriba-
tur: *sumentes*, quia « *participare corpus* » est expressio durior.

Resp.: Scribatur: *de corpore Domini realiter participantes*.

15. Sub n. 7, p. 14, lin. 13: ponatur *in Illum*, loco *in Illo*, secundum textum originale.

Resp.: Admittitur, adiecta indicatione *gr* (= graece).

16. Sub n. 7, p. 14, lin. 23-25: tres Patres observant quod in Eph. 5, 25-28 Christus ponitur ut exemplar viri et *non e converso*.

Resp.: Scribatur, ad difficultatem tollendam: « Christus vero diligit Ecclesiam ut sponsam suam, exemplar factus viri diligentis uxorem suam ut corpus suum; ipsa vero Ecclesia... ».

Ad num. 8

17. Sub n. 8, p. 15, lin. 1-2, addatur: « ... unam realitatem complexam *quamvis sub diversis rationibus efformant* ».

Resp.: Diversitas aspectuum iam in initio phraseos indicatur per verba « Ecclesia terrestris et Ecclesia coelestibus donis ditata ». Unde nihil immutandum.

18. Pro numero 8, unus Pater declarat *revisionem* esse necessariam, quia n. 3 Ecclesia dicitur « Regnum Christi iam praesens in mysterio », et n. 5: « Regni in terris germen et initium constituit ».

Resp.: Nulla apparet contradictio.

19. Sub n. 8, p. 15, lin. 19-21, proponunt 19 Patres ut scribatur: « ... subsistit *integro modo* in Ecclesia catholica ». Alii 25 Patres volunt addere: « *iure divino* subsistit ». Rursus alii 13 Patres, loco « subsistit in » petunt ut scribatur « est ». Unus vero proponit ut, loco *subsistit*, dicatur *consistit*. Ut patet, duae manifestantur tendentiae, una quae sententiam aliquatenus extenderet, altera quae vellet eam restringere. De qua re Commissio iam antea post largam disceptationem, elegit vocem « subsistit in »; cui solutioni omnes praesentes adhaeserunt. Quod attinet ad additionem *integro modo*, respiciatur textus sub n. 14, p. 36, lin. 4 ss. Quod spectat ad additionem *iure divino*, ex contextu paragraphi patet sermonem esse de institutione Christi.

Resp.: Standum est textui admisso.

Ib. p. 15, lin. 22: quidam proponunt ut addatur: « elementa plura sanctificationis, *ordinationis* et veritatis ... ».

Resp.: Res planius exhibetur sub n. 15, ubi etiam memoratur *Episcopatus*. Ceterum vox « ordinatio » non est valde clara. Si intelligitur de sacramento Ordinis, iam continetur sub termino « sanctificationis ». Unde nihil immutandum.

20. Sub n. 8, p. 15, lin. 42: optant 4 Patres ut addatur: « Ecclesia *Evangelium per prius ad pauperes enuntiat et omnes infirmitate...* ».

Resp.: Satis provisum in contextu, qui lin. 39 de pauperibus loquitur. Ceterum « prioritas » pro pauperibus videtur de paupertate spirituali intelligenda, secundum sensum vocis biblicae « *anawim* ».

EMENDATIONES ADMISSAE

SECUNDUM MODOS A PATRIBUS INTRODUCTOS

- N. 1 Prooemium, p. 7, lin. 7: Cum *autem* Ecclesia sit in Christo...
- N. 2, p. 7, lin. 25-26: ... homines ad vitam divinam elevare decrevit.
p. 8, lin. 4: Credentes *autem* in Christum...
- N. 3, p. 8, lin. 27-31: Quod exordium et incrementum significantur sanguine et aqua ex aperto latere Iesu Crucifixi exeuntibus (cf. Io. 19, 34), ac praenuntiantur verbis Domini de morte sua in cruce...
- N. 4, p. 9, lin. 23: donis hierarchicis et charismaticis *instruit ac dirigit*...
- N. 5, p. 10, lin. 13: ... manifestatur *in ipsa Persona Christi, Filii Dei et Filii hominis*...
- N. 7, p. 12, lin. 41: de *corpore* Domini realiter participantes...
p. 14, lin. 13: ... crescamus in *Illum* per omnia, qui est Caput nostrum (cf. Eph. 4, 11-16, *gr*).
p. 14, lin. 23-25: « Christus vero diligit Ecclesiam ut sponsam suam, *exemplar factus viri diligentis uxorem suam ut corpus suum; ...* ».

QUAESITUM

An placeat expansio facta a Commissione Doctrinali circa Modos Caput I respicientes, cum supradictis correctionibus?

*pres. : 1924 ; pl. 1903 ; non 17 ; mod 3
null. 1*



PATRIMONIO UC